


CHRIS[…] Autor,
[…]rum,
Dum […]eus esto
[…] liber!



Notandum ex hoc libro
de Melanchtone pag -- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod iis etiam
in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio VII.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGELII.

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTÆ,

SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

MICHAELE JOH: CRAPHthio, Dano.

Publicè in Auditorio majori 28. Septemb. habenda.

REGIOMONTI,

Typis Laurentii Segebadii, Anno 1624.

VIRIS.

Magnificis, Nobilissimis, Reverendiss. juxta ac Ampliss. omnigenâ virtute ac doctrinâ præcellentiss. DOMINIS PRÆLATIS AC CANONICIS, Roeschildensis Capituli laudatissimi, dignissimis.

UT ET

Admodum Reverendis, Clariss. Præstantiss. Excellentiss.

Dn. M. NICOLAO SIMONIDIS Glostrupio, Diœcesium Norvegicarum Aggerhusensis & Hammariensis Episcopo religiosissimo, amplissimo, vigilantissimo.

Dn. M. TRUGILLO NICOLAI, Scholæ patriæ Asloensis, Rectori solertissimo.

D. BARTHOLOMÆO ÆSCHILLIO Ecclesiæ Hoybyanæ pastori fidelissimo.

Magnis suis Evergetis, Mecœnatibus ac patronis

Ἀγώνισμα hocce Theologicum dedicat; studiaq; sua ulterius commendat.

MICHAEL CRAPHTHIUS. R.

Disputatio VII.

De Discrimine legis, & Evangelii.

Quo consilio auctores hujus libelli præsentem de Lege locum, post articuli de Christo (& ante articulorum aliorum de *peccato, libero arbritrio*, Justificatione) repetitionem, collocare, & tractare voluerint; non juvat operosâ dissertatione prosequi. *Breviter*: præsentis articuli repetitio *de Lege*, doctrinæ de *Christo* ejusque *officio* subjecta est, quia nemo vel cogitando assequi potest, quamobrem necessum fuerit ipsum Dei filium hominem fieri; quantaq; res sit officium Mediatoris, nisi ex lege didicerit, ad qualem obedientiam, & ad quantam pœnam omnes obligati simus: Loco v. de *Peccato, libero arbitrio, & Iustificatione* præmissa: Quia doctrina de *peccato* tradi nequit; nisi ostendatur regula Justitiæ in mente divina: cui quicquid conforme non est, peccatum est. Sic etiam, si doctrina legis non fuerit præmissa, ceu verum obje-

ctum virium humanarum, utiq; multa de *libero arbitrio* nimis philosophicè disputari possent in Ecclesiâ: *Deniq;* si quis non probe addidicerit, quantâ severitate omnimodam eamq; perfectissimam obedientiam lex, ab omnibus flagitet, impossibile erit, ut articulum de *justificatione* dextrè intelligat, & credat: quippe quem Christi merita, adeoq; impletio justitiæ, & liberatio à maledicto legis, nec non imputatio satisfactionis gratuita ingrediuntur. Id quod semel pro semper monuisse sufficiat, ne ordinis rationem in subsequentibus, tædiose sæpius reddere, & repetere teneamur. Quibus præmissis, nos ad pertractationem, & considerationem hujus Loci de *Discrimine Legis & Evangelii* accingimus; ejus dignitatem, necessitatem & utilitatem summam æstimantes: tantum namq; in hoc doctrinæ capite positum est momenti, ut qui legem ab Evangelio benè discernere noverit; ad summum in Theologiâ fastigium se pertigisse certò sibi persuasum jure habeat, sic pronunciante B. *Luthero* in Comment: super Galat. *Qui benè noverit discernere legem ab Evangelio: is gratias agat Deo & sciat se esse Theologum.* Quantum è contra dispendii ex confusione *Legis, & Evangelii* purior Ecclesiæ doctrina perpeti necessũ habuerit, docent nos omnium temporum exempla, utpote *Pharisæorum, Pseudo Apostolorum, Pelagianorum, Pontificiorum, Anabaptistatum, crypto Calvinianorum & Antinomorum* aliorum: de quibus in Antithesi ex professo.

Per

Pertexemus a. telam hujus instituti nostri intra cancellos membrorum, in superioribus disputationibus determinatorum.

I. SEDES HUIUS LOCI.

DE legis & Evangelii Discrimine.

1. Desumtus & repetitus hic est locus, Primò ex *August. Confess.* art. XII. *de Poenit.* ubi verba sic habent: *Constat poenitentia propriè his duabus partibus*: *Altera est contritio seu terrores incussi conscientiae agnito peccato*: *Altera est fides, quae concipitur ex Evangelio, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat &c.* Hîc innuitur discrimen inter *legem & Evangelium*. *Illius* officium describitur, quod efficiat contritionem, seu terrores conscientiae incutiat, agnitionemq; peccati pariat: *Hujus* v. innuitur à procreatione fidei.

Deinde ex *Apologia*, *primò* quidem *Artic.* IV. *de justif.* ubi, sic scriptum legitur: *Universa scriptura in hos duos locos praecipuos distribui debet in legem*; *& promissiones h. e. Evangelium. Aliás n. legem tradit, aliás tradit promissionem de Christo* h. e. *Evangelium, videlicet cum aut promittit Christum venturum esse, & pollicetur propter eum remissionem peccatorum, justificationem & vitam aeternam*; Videantur ibidem plura in subsequentibus, ac luculentum discrimen inter legem & Evangelium

inde eruetur. Deindè Art. XII. de Pœnit. quando inter cœtera sic disserit: *Hæc sunt duo præcipua opera in hominibus, perterrefacere, & justificare, ac vivificare perterrefactos. In hæc duo opera destributa est universa scriptura. Altera pars* lex est quæ ostendit, arguit, & condemnat peccata. *Altera pars* Evangelium *h. e. promißio gratiæ in Christo donatæ &c.*

Tertiò ex *Articulis* Smalcaldicis *& quidem parte tertia Art.* II. sic autem verba habent: *Præcipuum a. officium & ἐνέργεια Legis est, ut peccatum originale, & omnes fructus ejus revelet, & homini ostendat, quàm horrendum in modum natura ejus lapsa sit, & funditùs ac totaliter depravata, ita ut* Lex *ei dicat: hominem nec habere, nec curare* Deum, *& adorare* Deos *alienos:* Id *quod autem, & sine lege, homo non credidisset.* Hac *ratione perterrefit, humiliatur, prosternitur; desperat de seipso, & anxiè desiderat auxilium; nec scit quò fugiat; incipit irasci* Deo *& obmurmurare* Deo *præ impatientiâ.* Rom. 4. & c. 5.

Confer *artic.* III. de *Pœnit.* ubi destincta officia legis & Evangelii pluribus inculcantur, & ex professo in *Art.* IV. *de Evangelio.*

Quartò ex scriptis B. *Lutheri*, ad quæ non minùs, quàm ad modo commemoratos libellos symbolicos, auctores nostri provocant: inter reliqua v. instar pohsphori lucet commentarius ad Galatas, quippe in quo utilissima hæc doctrina aliquoties gravissimis verbis proponitur, & dilucidè illustratur, præsertim super Cap. 2. & 3. ad

3. ad Gal. Vide insuper *Tom. 2. Ienens.* Germ. fol. 479. seq. 1. *Tom. 6. Ien.* Germ. f. 289. *Tom. 7. Ien.* Germ. fol. 368. seq. *Tom. 1. Latin.* Jenens. f. 516. *Tom. 4. Lat.* Jenens. fol. 102. 304. 398. 323. & seq.

II. Summa hujus doctrinæ, prout in libello nostro pertractatur.

I. Repurgatur in præsenti loco, doctrina *Legis & Evangelii*, proposito in medium utriusq; *officio* genuino. Nam Legis ministerium, seu officium est, ipsum peccatum, & peccati stipendium revelare, atq; ita condemnationem, & mortem annunciare. E *contrà* v. Evangelii officium est docere, & monstrare illam justitiam, qua coram Deo justificemur, h. e. à peccatis absolvamur, & acceptemur ad vitam æternam, 2. Cor. 3. Gal. 3.

II. Discrimen *legis & Evangelii* proponitur, nec non verus usus defenditur, partim contra Pontificiam Ecclesiam: partim contra Antinomos, quippe tum doctrinam Legis ex Ecclesiâ 26.
impiè proscribentes, túm pœnitentiam ex Evan- 28.
gelio perversè urgentes, Evangeliumq; nil aliud quàm concionem Pænitentiæ esse, contendentes: propositis in medium ingentibus incom- 30.
modis ex Schismate Antinomico pullulantibus, subjunctâ insuper severa animadversione divinâ 31.b
in auctores confusionis: si n. ipsi ab hac præscriptâ Regula ordine & loco suo urgendi legem &

Evangelium aberraverint; Deus in pœnâ ab ipsis non aberrabit: Et quod talis aberratio sit ipsissima proditio miseri gregis Dominici, ad æternam perniciem.

III. Deniq; defenditur Tertius usus legis contra *libertinos* & novos *Antinomos*, contendentes: legem renatis non esse in hunc finem proponendam, ut sit norma docens, ac monstrans certa opera, in quibus Deus velit renatos exercere novam obœdientiam. Cum tamen Sp. sanctus, renatis non permittat illam libertatem, ut quomodocunq; velint, Deum colant cultibus electitiis: qui vel propria intentione excogitati vel hominum traditione instituti sint Col. 2. Matth. 15.

Sed potiùs ducat ac gubernet renatos in stadio Nov. obœdientiæ, juxta verbum in lege præscriptum: ut bona opera ipsorum, sint veri cultus Deo accepti, quod fieri non potest, si opera illa non habeant mandatum, & verbum Dei, juxta effatum B. *Lutheri* in præfat. V. T.

III. Exegesis Theseos præsentis doctrinæ.

1. De tribus igitur in Theseos orthodoxæ explicatione nobis agendum erit. I. De *officio legis, & Evangelii genuino*. II. De *legis, & Evangelii proprio discrimine*; *Deniq; de Tertio usu Legis*.

De

2. Ad pleniorem primi membri explicationem probè expendenda venit 1. tam legis quam Evangelii distinctio & genuina acceptio 2. Utriusq; peculiaris definitio 3. propriarum affectionum enumeratio, quæ tum Legi tum Evangelio seorsim competant. Sic nemq; officium Legis & Evangelii genuinum sponte suâ emerget.

I. LEGIS DISTINCTIO, & genuina accepito.

3. *Legis* vocabulum in sacris simpliciter usurpatum reperitur 1. pro quâvis doctrina, ut etiam Evangelium includatur Es. 2. v. 3. Jer. 31. vers. 33. Id quod astruit *Varinus* qui per *νομον* etiam τὸ εὐαγγέλιον intelligit.

2. Pro *universa scriptura* V. T. sub quâ includuntur 1. Lex 2. *Prophetæ* & 3. *Psalmi* Luc. 24. v. 44. hoc sensu capitur Joh. 7. v. 49. Rom. 3. 39.

3. Pro libris *Mosaicis* vel *Pentateucho* Matth. 7. v. 12. Luc. 24. v. 44. Rom. 3. 21. quo sensu Moses ipse pro libris Mosaicis innuitur. Act. 15. vers. 21.

4. Pro lege *Ceremoniali* Luc. 2. v. 22. 1. Cor. 9. v. 20.

5. Pro lege *Forensi*, vel *Iudiciali* Act. 23. v. 3.

6. Pro *inclinatione*, *vi*, & *impetu* ad aliquid

impellente. Sic intelligi debet Lex membrorum Rom. 7. v. 23. Lex peccati, & mortis Rom. 8. v. 2. Ubi per legem intelliguntur reliquiæ vetustatis, vel propensio ad malum: cui opponitur lex Spiritus vitæ, h. e. primitiæ novitatis, vel propensio ac inclinatio ad bonum.

7. Pro lege *Morali*, vel *doctrinâ* Decalogi Rom. 2. v. 12. 14. c. 3. v. 19. 20. 21. c. 4. v. 14. 15. cap. 7. v. 7. Gal. 3. v. 10.

Ubi notandum: legem hac in significatione capi 1. vel συνεκδοχικῶς aut pro primâ, vel pro secunda Tabula; sic Rom. 13. v. 8. intelligitur secunda tabula 2. vel μετωνυμικῶς idq; vicissim *vel* per modum *adjuncti*, & sic lex capitur pro rigore legis Moralis, ipsâq; adeo maledictione. 2. *vel* per modum *effecti*, ita lex capitur pro operibus legis *Gal.* 2. v. 21. 5. v. 18. Atq; ita in septima ac postrema significatione Lex, pro ut in Decalogo comprehenditur summatim, in præsenti loco consideratur.

II. Legis Moralis Definitio.

4. Plurimæ circumferuntur legis moralis definitiones, hinc inde desumtæ, de quibus videatur Dn. *Chemnit.* par. 2. Loc. Com. c. 2. fol. 4. nobis hæc potior & acuratior esse videtur: *Lex moralis est æterna, ac immota sapientia & Regula justitiæ in* Deo, *hominibus in primâ creatione indita,*

postea

postea v. sæpius repetita & declarata: requirens perfectam naturæ, omniumq; actionum nostrarum sanctitatem, & obœdientiam erga Deum, & proximum, prohibensq; contraria: ac obœdientibus quidem promittens vitam æternam; immorigeris autem denuncians iram Dei, corporales & æternas pœnas, nisi facta fuerit remißio & reconciliatio propter Christum Mediatorem.

5. Descriptio hæc est causalis mentione facta 1. Causæ *Efficientis*, sub quâ comprehenditur *modus* revelationis *geminus*, *unus creationis*, *alter repetitionis* vel declarationis 2. *Materialis* in quâ h.e. hominum; Job. 28. v. 28. Syr. 17. 5. Rom. 1. v. 20. c. 2. 14. *circa quam* h.e. omnium virium humanarum; omniumq; actionũ 3. *Formalis* consistentis in exactione & præceptione rigorosa perfectissimæ sanctitatis, & obœdientiæ erga Deum, & proximum; *Deut. 6. v. 5. Matth. 6 22. v. 37. Marc. 12. v. 30. Luc. 10. c. 27.* & in prohibitione contrarii 4. *Finalis* tùm *per se*, quæ est vita æterna Levit. 18. v. 5. Ezech. 20. v. 11. Rom. 10. v. 5. Gal 3. v. 12. tùm per *accidens*, quæ est ira Dei, & penæ, tám temporales, quàm æternæ, Deut. 27. v. 26. Gal. 3. v. 10. Reliqua ex affectionibus pleniús intelligentur.

III. *Affectiones legis Moralis.*

1. *Lex moralis est æterna, & immutabilis Re-*

gula justitiæ divinæ. Inculcatur hoc Theoremate formalis proprietas ac determinatio, quâ partim lex moralis differt à legibus ceremonalibus, & forensibus: utraq; n. harum cessavit in N.T. Lex v. Moralis, durat in perpetuum, nec quidem in vitâ futura cessabit. *Ratio*, est n. expressa imago interni conceptus divini, juxta quem homines vitam suam instituere coguntur; adeoque est Norma vel Regula vitæ Deo placentis omni tempore. *Limitat*: Quando a. lex à Theologis dicitur esse abrogata: id intelligendum est, *primò* ratione *justificationis*: non n. data est lex quæ posset vivificare. *Rom.* 8. *v.* 3. *Gal. c.* 3. *v.* 16. 17. 21. 2. ratione *maledictionis*, Rom. 7. v. 4. 5. Gal. 3. v. 10. 13. 3. ratione *condemnationis*, Rom. 8. v. 1. 4. ratione *accusationis* Ro. 8. 33. 5. ratione *coactionis* faciendi bonum, metu pœnę 1. Joh 2. v. 1. 2. c. 5. v. 3. 4. 6. ratione *rigorosæ exactionis* Col. 2. v. 14. *partim* etiam hac proprietate differt Lex Moralis ab Evangelio: uti namq; Lex est norma divinę *Iustitiæ*, ita Evangelium *Misericordiæ*, quâ de re paulò post.

II. *Lex Moralis est per totam scripturam V. T. sparsa; in Decalogo verò summatim comprehensa.* Non est cogitandum, ac si Decalogus, duabus illis tabulis constringatur, vel solis illis Mosaicis V. libris, aut scriptis prophetarum V. T. comprehendatur, ut ita ad N. T. non pertingat. Contrarium n. deprehendimus, adeò, ut in unâ sępè eademq; sententiâ ac versiculo, simul Lex,

&

& Evangelium contineatur, tàm in Vet. quàm in N. T. v. g. *Esa.* 1. *vers.* 17. 18. *Matth.* 11. *v.* 28. *Matth.* 17. *v.* 5. *cap.* 22. *v.* 2. *Luc.* 14. *v.* 16. *Ioh.* 3. *v.* 18. *c.* 3. 36. *Mar.* 16. 16. *Act.* 2. *v.* 38. *c.* 10. *vers.* 42. 43. Rom. 11. 34. *Breviter Quicquid ostendit peccatum, iram, ac mortem; pertinet ad legem in V. & N.* Test.

III. *Lex Moralis est perfectissima.* Duplex est consideratio legis moralis vel Decalogi, 1. *Generalis* ac Epitomica, uti modò dictum, quę totius legalis systematis naturam & affectionem expendit: & sic lex moralis dicitur esse perfectissima, videlicet ratione *praeceptorum generalium*: siquidem 1. Modos rerum agendarum exprimit; 2. Genera rerum omnium continet, in quibus actiones hominum occupantur; *quae duo in omni mandato ac praecepto spectari debent.* Quibus adde, quod lex sit Regula justitię divinę perfectissimę.

II. *Specialis* ac Diexodica, quatenus singulorum pręceptorū acuratiorem pertractat Diexodon. ubi multa occurrunt pręcepta, quę in Decalogo non exprimuntur, ut *Mar.* 10. *v.* 19. *Matth.* 7. *v.* 12. *c.* 2. *v.* 39. Quò pertinent Judęorum pręcepta 613. alia, Quę tamen omnia ad pręcepta generalia optimè reduci possunt.

IV. *Lex Moralis exigit perfectam, & omnibus numeris, ac modis absolutam Naturae, virium & actionum nostrarum integritatem, & perpetuam cum justitia divina conformitatem, ac obœdientiam.* Ratio,

est

eſt, n. Lex Moralis Norma juſtitię divinę: qu
uti perfectiſſima eſt, ita perfectionem omnimo
dam à nobis requirit: ubi perfectio abſoluta &
omnimoda ſpectatur: 1. *Subjecti* quod pręter
Angelicam, eſt natura humana, non ex aliqua
ſui parte, ſed *ex toto*. Atq; ita ab homine exigi
tur legalis perfectio, non ſecundum *animam* tan
tum, nec ſecundum *corpus* tantum, ſed ſecun
dum *corpus & animam* ſimul: Non enim ſoli ma
nui dictum eſt: *Non occides*; ſed toti homini
cujus pars altera potiſſima eſt anima, cum omni
bus ſuis affectionibus, facultatibus, & potentiis
viribus, & actionibus: quales ſunt, quę partim
ab *intellectu* partim à *voluntate* proficiſcuntur; *al*
tera vero corpus cum omnibus ſuis mẽbris prin
cipalioribus, ac minus principalibus, vel minu
tiſſimis. Huc igitur ſpectat Chriſti illud Matth.
22. v. 37. 39. repetitum ex Deut. 6. v. 5. Quo re
quiritur 1. *Natura* omnibus modis integra ac ſa
na 2. *perfectio* & integritas omnium virium, co
gitationum, verborum ac actionum 3. *intern*
& externæ obœdientiæ ſumma *perfectio*. II. Ob
jecti, quale eſt tùm primæ; tùm ſecundæ tabulæ
ubi triplex ratio objecti occurrit 1. *Direction*
vel *Normale* ſuntq; omnia omninò præcepta *pr*
mæ & ſecundæ tabulæ, tùm *affirmativa* tum *nega*
tiva, ex æquo ſatisfactionem & obœdientiam
exigentia: ubi ſi quis in uno fuerit prævaricatus
reus omnium pronunciatur. Iac. 2. v. 10. & u
maledictus proclamatur Deut. 27. v. 26. Matth

5. v

5. v. 19. Gal. 3. v. 10. 2. *occupationis* suntq; virtutes, virtutumq; actiones, *partim* ad cultum Deo debitum, *partim* ad proximi dilectionem pertinentes. Vbi *per omnia perfectio in summo gradu requiritur: & è contra omne ab imperfectione suspectum, ceu vitium & peccatum ipsum repudiatur, nec acceptatur in foro justitiæ divinæ.*

3. *Dilectionis* quod est nempè 1. ipse *Deus*, 2. proximus 3. propria cujuslibet persona. Utrobiq; intensissimus dilectionis gradus exigitur, potior tamen Dei ceu objecti adorabilis & diligibilis simul: Ideoq; dilectio heic requiritur ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus: posterior proximi, utpotè ceu objecti diligibilis tantum. Mentione a. proximi innuuntur non solum nostri cognati & consanguinei, verum etiam extranei; nec solum amici; verum etiam inimici, ii insuper qui nos persequuntur: His enim jubemur primo benedicere 2. benefacere 3. pro illis orare Matth. 5. v. 43. 44. 46. 47. postremus nostrimet ipsorum, post ponenda enim dilectio nostri, dilectioni Dei & proximi.

III. *Temporis*: Obœdientia namq; & satisfactio Legi Dei debita, nullam admittit interuptionem temporis, ne ad momentum quidem: ita ut nimirum una horâ, Deum colas, adores, eumq; diligas, altera v. à pietate ac dilectione remittas, aut hac horâ proximum, vel etiam inimicum tuum diligas, eiq; benefacias, aliâ verò cum odio prosequaris, maledictis proscindas,

das, & malefactis excipias: è contra vero requiritur constantissima, interrupta, invariata, & nullo temporis momento mutabilis obœdiendi & satisfaciendi legi Dei perfectio. Ratio. Uti namq; *Deus est invariabilis, immutabilis in sua* 1. *Essentia* 2. *veritate* 3. *Sanctitate &* 4. *justitia: Ita invariabilem, ac immutabilem cum lege sua, ceu Iustitiæ suæ Normâ ac Regulâ perpetua, exigit à nobis conformitatem ac incessantem obœdientiam.*

V. *Legem Moralem nemo hominum vel sanctißimorum in hac vita ex toto implere potuit; Christo excepto; nec jam potest, poteritve unquam ante statum gloriæ.* Ratio in promtu est, 1. ex parte *subjecti* h. e. hominum omnium qui Christo solo excepto, omnes ad unum sunt originali labe infecti, manet quippe in omnibus fomes peccati etiam post justificationem, & regenerationem, ubi nulla distinctio: uti Exemplum vel sanctissimorum comprobat Rom. 7. v. 14. seq. qui de concupiscentiâ, ceu lege peccati originalis conqueri *ibid. vers.* 7. 17. 20. ob idq; suam miseriam deplorare *vers.* 24. ac confiteri *Psal.* 51. *vers.* 1. *seq. Proverb.* 20. *vers.* 9. 1. *Reg.* 8. *vers.* 46. *Es.* 64. *vers.* 6. *Dan. vers.* 5. 7. 18. *Iacob.* 3. *v.* 2. *Ioh.* 1. *v.* 8. *Phil.* 3. *vers.* 2. ac pro remissione hujus & aliorum peccatorum orare *Psal.* 19. *vers.* 13. & 32. *vers.* 6. & 30. *v.* 2. 143. *v.* 2. necessum habuerunt. Alia v. ratio fuit hominum in statu *integritatis*, eritq; in statu *gloriæ*: utrobiq; excipiuntur ab imperfectione; in *illo* quidem ob imaginem divinam con-

concreatam, ac consistentem in perfecta sancti-
tate & justitia Eph. 4. v. 24. in *futuro* verò ob
restitutionem plenissimam bonorum lapsu Adæ
deperditorum, per Christum recuperatorum,
in statuq; *gratiæ*, nobis à Christo *imputatorum*,
2. *inchoativè* nobis collatorum, in *altera* demum
verò vita *consummativè* in nobis complendorum
1. Cor. 15. v. 21. 22. 49.

2. Ex parte *prædicati* 1. Legis *Moralis*, quæ quia spiritualis est, Rom. 7. v. 14. utiq; talem requirit obœdientiam, & satisfactionem uti modò dictum fuit 2. *actus implendi*, non partialis, sed totalis, qui omnibus sanctissimis prorsus impossibilis in hac vita, *Act.* 15. 10. *Es.* 9. *v.* 6. *Rom.* 8. *v.* 3. 7.

3. Ex *parte obœdientiæ* Christi, legi perfectissimæ præstitæ, loco vel vice nostri: quod enim impossibile erat legi, quæ per carnem nostram infirmabatur, Deus per filium suũ in hunc mundum missum præstitit, ut justificatio legis impleretur in nobis *Matth.* 5. *v.* 17. *Rom.* 8. 3. 4. *Act.* 13. 38. Ac 4. si impletio legis fuisset nobis *possibilis*, utiq; 1. frustra Christus in carnem venisset Gal. 2. v. 21. 2. possibilis etiam fuisset nostra ex lege justificatio, At vero nulla data est Lex, quæ posset justificare *Gal.* 3. *v.* 18.

VI. *Per legis Moralis observationem, nullus hominum in mortali hocce corpore, justitiam, vitam & salutem æternam promereri potest poteritvè.*

Ratio patet ex supradictis. 1. Quia lex re-

quirit perfectissimam obœdientiam, & plenariam satisfactionem; jam v. nullus hominum reperiri potuit, potest, poteritvé, extra statum *integritatis & gloriæ*, qui conditionem legalem ex asse & ex toto implere potis fuerit, etiam namq; possit. Proindè licet lex promittat justitiam, & vitam æternam; sed tamen cum conditione perfectæ obœdiẽtiæ; quà deficiente, deficit etiam conditionatum, sive promissum objectum *Lev.* 18. *v.* 5. *Ezech.* 20. *v.* 11. *Gal.* 3. *v.* 17. 2. Qui lex non proponit nobis causas justificationis salutis, & vitæ æternæ, quales sunt: *gratia* Dei *Christi* meritum, & *fides salvifica* Rom. 3. *v.* 25 *Act.* 15. *vers.* 11. licet Lex sit ministra gratiæ & præparatrix ad gratiam, uti B. *Luth.* inquit: No tamen offert gratiam, sed exigit rigorosé opera quæ aliàs à foro justificationis ac à conspect Dei excluduntur *Eph.* 2. *vers.* 8. Hinc *August.* d *Spiritu & lit. cap.* 19. *Lex datur ut gratia quæra tur*: Sic est lex quantumvis incredulitatem i Christum damnet; attamen Christum non do cet; ducit quidem ad Christum instar pædagog cogit quærere medicum: ipsa tamen eum non docet nec proponit *Gal.* 3. *vers.* 24. Deniq; ex git Lex *fidem*; nec tamen nos fide instruit: Pr inde, Lex *Moralis*, *instrumentum fidei directum n potest, nec debet statui; sed indirectum, & inadæqu tum: jubet credere omni verbo* Dei; *omnibusq; in per promißion Evangelicis*: Ipsa v. Lex tale verb non proponit. Non igitur ex lege est justific ti

tio, ſed per fidem Jeſu Chriſti Gal. 2. v. 16. Et *quod lex imperat, hoc fides impetrat*, inquit Aug. ſerm. 39. in Joh.

VII. *Lex Moralis, licet ipſa non juſtificet : proponenda tamen eſt ac urgenda in Eccleſiâ, propter uſum ſuum genuinum ac proprium triplicem* 1. πολιτικὸν 2. ἐλεγκτικὸν & 3. διδακτικόν.

Illo lex inſervit *nondum renatis*, à quibus Deus ſeverè flagitat diſciplinam, ita ut legis violationem horribilibus pœnis etiam in hac vita puniat: & *contra* ſervantibus diſciplinam, etiam non renatis, externas renumerationes tribuat ad conſervandam publicam ſocietatem, & ad Chriſti Eccleſiæ propagationem. De hoc uſu Apoſtolus I. *Tim.* 1. *v.* 9.

Iſto inſervit *juſtificandis*, quibus evadit miniſterium, non vitæ; ſed mortis: eos non vivificat; ſed occidit 2. Cor. 3. 1. peccata *accuſando*, & *oſtendendo* non ſolúm manifeſta, ſed etiam occulta, rationiq; ignota, qualis eſt *concupiſcentia* Rom. 7. adeoq; totam vitam damnando quæ non ſit ex fide, ut ita homo in agnitionem ſui deveniat. 2. peccata *exaggerando*, monſtratâ magnitudine, & abominatione peccati; iisq; comminationes de ira Dei, & æternis pœnis *addendo: ut indè peccatum, ſit excellenter peccatum per legem*. 3. *terrendo* ſecura corda, & *pariendo* contritionem agnitionemq; peccatorum, undè lex dicitur *medium, vel inſtrumentum contritionis, & pœnitentiæ. Lex n. eſt virtus pec-*

cati. Cor. 15. v. 56. ac iram operatur Ro. 4. v. 15. 4. ad gratiam *præparando*; verberibus suis peccatorem ad promissionem gratiæ *urgendo*; ad Christum *ducendo & compellendo*. Est enim lex Pædagogus ad Christum *Gal.* 3. *v.* 24. ut supra dictum. Hoc, videl: *Tertio*, inservit jam *justificatis ac renatis*, præscribendo *Normam novitatis vitæ, ac bonorum operum*. Qua de re infra Memb. 3.

IIX. *Lex usurpanda non Evangelicè, sed legaliter* 1. Tim. 1. v. 8. H. e. Lex quidem in vero suo usu, est *bona, sancta, justa*, Rom. 7. v. 11. 12. sed nequaquam in articulum justificationis collocanda. Ita tempore Christi, *Pharisæi* legem in forum justificationis trahentes; eamq; evangelicè usurpantes, ex bona reddiderunt malam, ac in conspectu Dei gratiæ inutilem. Sic lex tempore *Pauli*, metas proprias egressa, honorem Deo debitum sibi arrogabat: ideoq; ignominiosa meruit nomina, ut audiret ministerium mortis, egena mundi elementa *Col.* 2. 2. *Cor.* 3.

IX. *Quantum doctrina Legis in vero suo usu obscuratur: tantum de Evangelio amittitur.*

Ratio, est enim præcipuus Evangelii articulus, de *justificatione*, Is verò neutiquam dextrè intelligetur; non traditâ & explicatâ legis doctrina. Nam Evangelium proponit ac offert nobis Christi merita, cum omnibus beneficiis; hæc vero definiuntur tum *impletione* justitiæ

justitiæ legis, tùm *liberatione* à maledicto legis. *Deindè* proponitur in articulo justificationis, ut liberationem à maledicto legis apprehendamus: utiq; seriò considerandum est, quid sit Lex; quidq; *maledictio*.

Satis de lege, differendum etiam paucis erit de Evangelio.

I. EVANGELII DISTINCTIO & acceptio propria.

7. Evangelium componitur παρὰ τὸ εὖ μόριον καὶ τὸ ἀγγελία, h. e. à particula adverbiali benè, & annunciatione, auctore *Varino*. λέγεται δὲ εὐαγγέλιον παρὰ τὸ τὰ κάλλιστα ἀπαγγέλλον (vel ut *Suidas* habet διαγγέλλον) τὸ ἀγαθὰς ἀγγελίας φέρον: ideo quod optima denunciet & bonas denunciationes ferat.

8. Reperitur terminus *Evangelii*, tùm ap. autores *profanos*, *Plutarchum & Homerum*: tum in *codice sacro* tam V. quam N. Test.

9. In Ve. T. vox בשרה innuit *Evangelium*, in *triplici* significatione, de re utrobivis læta & gratâ, 1. pro *annunciatione profligatorum* hostium, à quibus periculum imminebat, 1. Sam. c.31.v.9.2.Sam.1.v.20.c.4.v.10.c.18.v.19. 2. pro *annunciatione* rei *magnæ* 2. Reg.7.v.9.10. 3. pro *annunciatione liberationis ex captivitate*, item consolationis Es. 61. v. 1. 2. Jer. 20. vers. 15. Zach. 9. v. 11.

10. In N. T. *triplex* significatus Evangelii occurrit, *primò* generalis pro universa doctrina legis, & Evangelii simul. Marc. 1. v. 14. Luc. 9. 16. Act. 20. v. 21. 24. 2. *Specialis* pro historiâ ab Evangelistis conscriptâ, vel *libris* Evangelistarum 3. *specialißimus* ac propriissimus, pro *concione* de beneficiis Messiæ tam in Vet. quam in N. T.

Evangelii Definitio.

11. *Varinus* sic definit Evangelium: Εὐαγγέλιον ἐστι κήρυγμα τῆς νέας σωτηρίας, ἢ λόγος περιέχων ἀγαθοῦ παρουσίαν. h. e. *Evangelium est concio novæ salutis, vel sermo complectens boni præsentiam.* Quia v. descriptio hæc est nimis generalis, & manca, nos pleniorem proferimus.

12. Est igitur *Evangelium, Mysterium æternis temporibus tacitum, & ex arcano consiliò Deitatis per Filium prolatum: in quo Deus ex immensa misericordiâ, propter filium suum, gratis promittit remißionem peccatorum, justitiam, S. Sanctum, & vitam æternam, omnibus hæc promissa bona fide amplectentibus.*

13. *Generis* loco ponitur *Mysterium* ex Rom. 16. v. 25. 26. Eph. 3. 9. Col. 1. v. 26. quod propius est quam doctrina quæ etiam legi competit, ubi simul differentia Evangelii à lege innuitur, hæc enim est *naturâ nota;* hoc verò *ignotum*, ac ex revelatione, ac patefactione divinâ

demum

demum patescit ac innotescit: *Porrò* causa *Materialis* innuitur mentione *subjecti* ad quod promissio Evangelii dirigitur, quale *sunt omnes homines*; *Et objecti* seu rerum promissarum in Evangelio, videt: *remissionis peccatorum*, *justitiæ Spiritus S. & vitæ æ*: *Formalis* v. consistit in modo promittendi *gratuito, ex immensa misericordiâ, propter Christi meritum*. *Finalis* deniq; *intermedia* quidem *Fides*; quam ceu effectum Evangelii S. Sanctus intendit. quò homines omnes promissiones illas sibi applicent. *Vltima* v. salus & vita æterna.

Affectiones Evangelii.

I. *Evangelium est unicum ac ratione substantiæ sibi semper simile.*

Ratio 1. est enim decretum ac consilium Dei *æternum*, Ergo etiam unum ac invariabile: Deus enim uti in essentia; ita in consiliis, & decretis suis est immutabilis Mal. 3. vers. 6. 2. quia *una*, & eadem est Evangelii doctrina, per Prophetas, & Apostolos prædicata, de Christo ejusq; beneficiis, morte ac passione suâ acquisitis. Rom. 1. v. 1. c. 16. v. 26. 1. Pet. 1. v. 10. 3. quia *una* fides Eph. c. 4. v. 5 Et quia *una* & eadem salutis ratio Act. 4. v. 12. c. 10. vers. 43. c. 15. vers. 11.

II. *Evangelium est æternum* Rom. 16. v. 25.

Eph. 3. v. 9. Col. 1. v. 26. Ap. c. 14. 16. Ratio 1. decretum enim ab æterno in consilio S. S. Trinitatis 2. de agno ab origine mundi occiso. *Ap.* 13. *v.* 8. de Christo qui est heri, hodiè & in secula *Heb.* 13. v. 8. 3. de justitiâ æterna *Dan.* 9. *v.* 24. 4. de salute ac vita æterna; ut & de gratia nobis data ante tempora æterna 2. Tim. 1. v. 9. juxta Testamentum æternum Heb. 13. v. 20.

III. *Evangelium est rationi humanæ absconditum, ideoq; citra revelationem nemini cognitum* 1. Cor. 2. v. 7. 8. 9. 10.

IV. *Evangelium est Norma Misericordiæ divinæ.*

Ratio 1. *quia objectum Evangelii totale est gratuitum, & misericordiæ divinæ soli adscribendum: Nam quicquid Evangelium promittit; illud omne est gratuitum, excludens nostra opera, merita, ac dignitatem.* 2. quia omnia *effecta* Evangelii sunt gratuita, ut sunt 1. patefactio *voluntatis divinæ* 2. *datio ac confirmatio* fidei, 3. *oblatio* remissionis peccatorum; 4. *donatio* Spiritus S. 5. *liberatio à* morte & peccato, 6. *conciliatio* gratiæ Dei, pacis, gaudii, iustitiæ, adoptionis in filios, consortii divinæ naturæ 7. *largitio* spei, salutis ac vitæ æternæ.

V. *Evangelium est universale: ratione* 1. *Temporis* 2. *subjecti,* 3. *obiecti &* 4. *loci. Temporis* quidem, quia unum ac idem quovis tempore: 2. *Subjecti,* quia ad *omnes homines* directum, & promulga-

mulgatum, ex consilio ac beneplacito divino, atq; ita concernit non tantum electos, sed etiam reprobos. Joh. 3. v. 16. Rom. 5. v. 10. c. 11. v. 32. 1. Tim. 2. vers. 4. 2. Pet. 3. v. 9. 3. *objecti* promissi, quale est, 1. Christus cum omnibus suis meritis ac beneficiis: 2. omnes promissiones Evangelicæ, ac salutem offerentes: adeò ut in Evangelio omnis ratio divina salvandi homines contineatur & reveletur, nulla reticeatur Act. 20. v. 27. 4. *Loci* quia prædicatum est, & adhuc prædicatur in *omni loco* sub sole, *in toto* mundo ac *apud omnes* creaturas ac *gentes* Matth. 28. v. 19. Mar. 16. v. 15. Luc. 24. v. 47. Col. 1. v. 6. 23.

VI. *Deus per Evangelium, ratione oblationis, ex parte sui, fidem ceu finem externum in omnibus hominibus producere intendit:* ratione *applicationis & collationis verò, fidem ceu causam organicam jam productam exigit, præsupponit, & attendit.*

14. Evangelium duplicem sortitur respectum 1. Causæ *instrumentalis*, vel *organicæ*, non quidem ex parte hominum; sed *Dei*, per quam fidem in cordibus hominum accendit, modó obicem ipsi spiritui sancto non ponant, aut media divinitus oblata non aspernentur. Unde etiam Evangelium vocatur *lex* fidei Rom. 3. v. 27. verbum *fidei*, c. 10. v. 8. Est *namq;* Evangelium *fidei justificantis adæquatum, directum, & proximum instrumentum.* Et *sic fides est effectus* Evangelii; eoq; naturâ posterior. Proinde promissio-

nes Evangelii non possunt fidei conditione limitari hoc pacto, uti volunt ineptientes Calviniani. 2. Caussæ *materialis*, vel *objecti* sive rerum promissarum, dum actu conferuntur nobisq; applicantur: tunc fides subit rationem non *effectus*; sed *caussæ*, *organicæ* tamen, apprehendentis beneficia, Evangelio divinitus oblata. Atq; hoc respectu, promissiones divinæ ad certos homines restringuntur & limitantur nimirum ad credentes solos.

15. Pariter *Fides* respectu Evangelii, dupliciter consideratur. 1. Sub notione causæ finalis, *intermediæ* nimirum, cujus gratia revelatum, & divinitùs est propositum. Et sic fides respectu Evangelii quoties hoc prędicatur, non est in actu, sed in potentiâ, non de præsenti, sed de futuro; non in facto; sed in fieri & in intentione. 2. Sub notione *medii* vel *organi*; quo homo bona in Evangelio promissa & oblata amplectatur: adeoq; justitiam & vitam æternam consequatur, & sic fides attenditur esse de *præsenti*; ut *producta*, adeoq; in executione.

16. Ex hactenus præmissis, tùm Legis, tum Evangelii, officium genuinum ultrò patet. *Breviter; Quæcunq; obœdientiam à nobis flagitant, & inobœdientibus pœnam denunciant: omnia officium legis exercent. Et contrà: Quæcunq; dicta scripturæ sacræ, loquuntur de collatione beneficiorum, Christi merito acquisitorum; de justificatione, & renovatione; de gratia & dono per gratiam; de imputatione*

tatione justitiæ Christi; de Spiritus S. donatione; ea omnia Evangelii officium deprædicant.

DE SECVNDO.

17. Descrimen porrò legis, & Evangelii, ex præcognitis facili negotio venari licet; brevibus tamen utriusq; hoc membro indicanda est tùm convenientia; tùm differentia.

18. *Conveniunt lex & Evangelium* 1. *Appellationibus*, utrumq; enim est verbum Dei 2. *latitudine*, utrumq; enim doctrinæ genus sparsum est per V. & N. T. 3. *perfectione*, 4. *duratione* 5: *promißione* vitæ æternæ 6. in *praxi* & in hominis Christiani pectore 7. *objecto*, utraq; enim doctrina, versatur circa peccatum; utut diversimodè.

19. *Differunt* 1. *Appellationibus*: quoties n. Lex Evangelio opponitur, tunc sortitur nomina *ignominiosa*, Evangelium v. *gloriosa* 2. *definitione* 3. *affectionibus* 4. *principio*, *lex* enim est *justitiæ* divinæ, *Evangelium* vero *Misericordiæ* εἰκόνισμα. 5. *cognitione*, Lex enim natura nota; non autem Evangelium 6. *ordine* doctrinæ, lex prius est tradenda, posteà Evangelium 7. *objecto*, *lex* circa facienda versatur, *Evangelium* circa credenda: 8. *conditione formali*, lex exigit opera ac perfectissimam obœdientiam; Evangelium verò *fidem* 9. *Effectis* Lex peccatum arguit, demonstrat, terret, damnat, occidit;

Evange-

Evangelium consolatur, salvat, & vivificat. Lex monstrat bona opera, ast vires non sufficit faciendi; Evangelium vero largitur Spiritum S. Jer. 31. v. 33.

20. Pertinent huc *Theoremata* 1. *Lex & Evangelium mutuò ab invicem distant; ut cœlum & terra, lux & tenebræ; dies & nox: Luth. sup. Gal. c. 2.*

2. *Moses & Christus, Lex & Evangelium, sub unum genus doctrinæ referri nequeunt.* Joh. 1. v. 17. 1. Tim. 1. v. 15.

3. *Lex Moralis in toto suo ambitu, opponitur toti justificationis negotio in Evangelio patefacto.* Nam, ut *Decalogus*, opponitur *Evangelio* ipsi; ut *rigor* legis, & *maledictio*, opponitur *gratiæ*; ut *opus* legis, opponitur Christi *merito*, & *fidei*.

21. *Limitatio* 1. *Lex* & Evangelium sunt opposita nimirum *diversè*, non veró *contradictoriè*. Lex n. non adversatur promissionibus Gal. c. 3. v. 21. nec per fidem Lex evacuatur, aut irrita redditur; sed stabilitur *Rom.* 3. *v.* 31.

2. Lex & Evangelium sibi invicem opponuntur in *Theoria*; *non* autem *in praxi*. In *theoriâ* quidem opponuntur Novem illis gradibus, modó in medium allatis, & si qui adhuc plures dari poterint; in *praxi v. conjunguntur*, *imò quovis centro Mathematico sunt conjunctiora*, autore *Luth. sup.* Gal. 2. Nam ad pœnitentiam utrumque doctrinæ genus concurrit, 1. Lex efficiendo *contritionem*; Evangelium procreando *fidem* 2.

Lex

Lex omnes peccati reos esse, *arguit*, & damnat, *Evangelium* vero dum in solo Christo salutem esse quærendam pronunciat, omnes homines sub peccato conclusos esse *præsupponit* 3. Lex *jubet* credere omni Dei verbo, Evangelium v. *proponit* hoc Dei verbum: v. g. quod Christus in cruce pro nobis sit mortuus: quod sit nostra justitia, redemtio, & sanctificatio 1. Cor. 1. v. 30. 4. Lex *arguit* omnia peccata, ipsam insuper *incredulitatem*. Evangelium v. *monstrat hoc omnium peccatorum esse maximum*: Non credere in Christum Mediatorem.

22. Quibus ita præsuppositis & expeditis; *Quæstio* illa, ultrò citroq; agitata: Num *Evangelium sit concio pœnitentiæ?* facili negotio decidi poterit. Porro ratio decidendi petenda est ex distinctione vocum Evangelii, & pœnitentiæ. *Breviter: Evangelium est concio pœnitentiæ, & non est. Est in primâ & secundâ* Evangelii acceptione, quatenus nimirum denotat *universam* Novi Test. doctrinam Mar. 1. v. 14. &c. Sic enim Evangelium non excludit sed includit legem ut Matth. 5. 6. 7. In quam sententiam trahendum est illud B. *Luth. effatum* Disp. 30. contra Antinomos. *Christus passim per Evangelium arguit, increpat, minatur, terret, & similia legis officia exercet* 2. quatenus capitur *pro libris Evangelistarum*: in quibus non tantum Evangelicæ, sed etiam legales conciones extant exaratæ.

23. *Non est* in tertiâ significatione, sic enim opponitur pœnitentiæ, quoties hæc μερικῶς ac partialitér sumitur, pro contritione, fidei oppositâ, eique contradistinctâ Mar. 1. v. 15. agite pœnitentiam, ac credite Evangelio. Et quî Evangelium poterit esse concio pœnitentiæ, cum hæc sit concio iræ & operum, illud verò gratiæ, beneficiorum & fidei?

24. Ubi tamen *Colophonis* loco notandum. *Evangelium* in tertia significatione acceptum, *concionem pœnitentiæ cœteris paribus vocari & statui posse* 1. ratione *subjecti*, quia annunciat gratiam solis *pœnitentibus*, adeoque agnitione peccatorum & sensu iræ divinæ contritis & humiliatis 2. ratione *ordinis doctrinæ*, & præsuppositionis concionis Legalis. Nam dum Evangelium in solo Christo salutem proponit, omnia extra Christum sub peccatum esse conclusa præsupponit Rom. 11. v. 32. 3. ratione quarundam legis *explicationum*, quas Evangelium monstrat, suppeditando in praxi assumtionem, vel minorem propositionem v. g. *Quicunque est sub peccato, ille est maledictus.* Omnis qui non credit Evangelio nec credit in filium Dei, *est sub peccato*, & ira Dei manet super *eum* Joh. 3. vers. 36. Ergo *est maledictus*: In hoc syllogismo *Major & conclusio* sunt *Legis*, *Assumtio v. Evangelii*. Et sic *accusatio incredulitatis, maledictio & damnatio, pertinent ad legem, Evangelii luce collustratam.*

De Tertio.

25. Reſtat ut de *tertio* uſu, heîc aliquid ex *profeſſo* breviſſimis tamen lineolis moneamus. Diximus autem ſuprá: uſum hunc *Tertium* legis (qui vulgo διδακτικὸς vocatur) concernere renatos, ac juſtificatos; id quod probamus:

Primò à Chriſti ipſius *aſſertione ac mandato.* Mat. 5. v. 20. ſeq. c. 6. c. 7. usque ad v. 5. 13. Joh. 13. v. 34. 35. ubi Salvator injungit diſcipulis ſuis jam renatis, legem de diligendo proximo: ut & c. 15. v. 12.

Secundò, à *praxi Apoſtolicâ*, ſubinde legem renatis inculcante Rom. c. 6. *per tot. ut & c. 7. c. 8. v. 4. c. 12. c. 13. c. 14. c. 15. ad verſ. 16. c. 16. v. 19. Gal. c. 5. v. 13. 14. 16. 1. Tim. c. 6. v. 13. 14. 17. 18. Tit. 1. v. 13. 14. 15. 16. c. 2. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 12. 15. c. 3. v. 1. 2. 3. 8. 14. Heb. c. 12. v. 4. 5. 12. 13. 14. 15. ſeq præſert. v. 28. c. 13. ad v. 22. Iacob. 1. v. 25. 26. 27. c. 2. v. 8. 9. 10. 11. 11. c. 4. v. 6. 7. 11. 12. c. 5. v. 12. 1. Pet. 1. v. 13. 14. 15. 16. c. 2. c. 3. ad v. 17. c. 4. c. 5. ad v. 10. 2. Pet. 1. ad v. 16. c. 2. ad fin. c. 3. v. 1. 2. 11. 14. 1. Ioh. 2. v. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 10. 11. c. 3. v. 1. 3. 11. 23. c. 4. v. 7. 21. c. 5. v. 3. 21.*

Tertiò, à rationibus propter quas Lex renatis proponi, & inculcari debeat 1. ob peccatorum *agnitionem*, ut lex Dei oſtendat imperfectionem, & immunditiem internam: ob quam opera renatorum evadunt imperfecta: adeó que arguat præſumtionem phariſaicam Rom. 7. v. 14. ſeq.

2. Ob *cohibitionem* veteris Adami, & excitationem novæ obœdientię, non Evangelicis tantum obtestationibus, sed & pręceptis, exhortationibus, comminationibus & promissionibus legalibus.

3. Ob *Normam obœdientiæ, & doctrinæ quoad cultum divinum & bona opera*, ut renati sciant, qui cultus, & qualia opera Deo placeant, ne excogitent novos cultus sine verbo Dei.

IV. Exegesis Antitheseos.

26. Hęretici circa doctrinę pręsens caput aberrantes, sunt tùm *Veteres*, tùm *recentiores*.

27. Inter *veteres* numerantur merito 1. *Pharisæi* tempore Christi, justitiam & vitam ęternam ex lege quęrentes.

2. *Pseudo-Apostoli* tempore Pauli, Evangelium in legem transformantes: nec non leges ceremoniales, Ecclesię sub necessitate salutis obtrudentes. Atque hi peccarunt in *Excessu*. In *defectu* exorbitarant 1. *Cerdon Marcion, Valentinus, Manes & Manichæi*, doctrinam legis non esse à bono Deo ortam, sed à Diabolo blasphemè contendentes.

28. Circa, *Evangelii* doctrinam errarunt quidam ex *patribus, ut Iustinus Martyr, & Philosophus; Clemens Alexandrinus, Tertulianus &c.* tria diver-

diversa Evangelia statuentes; ita ut homines ante *Mosen* per legem naturæ; post *Mosen* per legem *Leviticam*; sub N. Test. per legem *Evangelicam* salvatos esse contenderint: contra axioma primum de Evangelio.

V. De erroribus hodiernis circa hunc locum.

29. Tales v. sunt 1. *Pontificiorum*; Evangelium per novam legem propriè sic dictam, definientium, quæ sit multo gravior, & difficilior lege *Mosaicâ*: ita *Petrus à Soto*, in assertione Catholica; ubi *Evangelium literam occidentem appellat*. Idem statuunt *Iesuitæ Coloniens*: in Censur: contendentes: *Evangelium esse doctrinam de justitiâ operum; vocemq; Evangelii esse: si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quos sequitur *Bellarminus lib. 4. de Iustific. c. 2.* ubi negat legem ab Evangelio differre, contendendo in Evangelio contineri omnia illa quæ nos soli legi tribuimus quæ sunt præcipuè *tria* 1. *Leges* propriè dictæ 2. *comminationes & 3. promißiones* cum conditione obœdientiæ. *Contra Act. 15. v. 10. Rom. 10. v. 5. c. 4. v. 5. Gal. 3. v. 11. 12.* Ibidem *c. 3.* id solum modò discriminis agnoscit inter *Legem & Evangelium*, quale est inter doctrinam *inchoatam & perfectam*. Hinc legem *semini* Evangelium *v. arbori* æquiparat, *Porro* ne-

gat alicubi in V. Test. per Prophetas promulgatas fuisse promissiones de *regno cœlorum*, *& vitâ æternâ*. Contra *Deut*. 8. *v*. 3. *c*. 13. *v*. 15. 19. *Lev*. 18. *v*. 5. *vivet in eis: ubi Targum Onkelosti* reddit: *vitam æternam habet in eis*. Hinc *Rabbi Ioseph. Ben Albo lib*. 4. *Ikarim*. *c*. 39. de hoc dicto scribere sic haud dubitat: *Scripturæ contextus evincit; Mosen de vita æterna loqui*. Huic addit *Deut*. *c*. 32. *v*. 46. *Psal*. 25. *v*. 12. *Prov*. 11. *v*. 7. *Zach*. 3. *v*. 7. Nos insuper adjicimus *Psal*. 21. *v*. 5.7. *Psal*. 22. *v*. 27. *Esaiæ* 45. *v*. 17. *c*. 51. *v*. 6. 8. 11. Promissiones insuper Evangelicæ extant Clarissimæ *Gen*. 3. *v*. 15. *Deutr*. 30. *Esa*. 53. *c*. 45. *c*. 63. *Ier*. 31. *&c*. Deterior itaq; hac in parte est doctrina *Pontificiorum*, quám *Iudæorum*.

30. II. *Calvinianorum*: quorum *plerique* Gentiles ex solâ lege Naturæ, justificatos, & salvatos fuisse docuêre.

Alii veró Evangelium per pœnitentiæ concionem proprié definiendum esse, acritèr contendêre; neq; ampliùs legis in Ecclesia usum necessarium esse; vel si quis sit, ad arguenda peccata, non omnia tamen exindè arguenda esse; sed illa tantum, quæ *cum lege manifestè pugnent*; *incredulitatem* verò, *Filii ignorationem*, *& neglectionem*; *contemtum iræ*, *ac misericordiæ Dei*: *desperationem insuper*: *non ex lege sed ex Evangelio redargui oportere*. Tales erant *Crypto-Calviniani Wittebergenses* circa annum Ch.1558. & 1570. aliàs *Antinomi*, vel *Nomomachi* dicti, occasionem

nem erroris præbente, primùm *M. Iohanne Agricola Islebio* Ludimoderatore, post Ann. 1530. 38. tùm maxime Anno 1548. in cothurno illo *Metaxyco sive Interim*: tum Anno 1562. quem B. *ipse Luth.* adhuc in vivis solidè confutavit. *Tom.* 7. *Ien. Germ. Tom.* 1. *lat. Ien.* cui sese adjunxêre, D. *Casparus Guttelius* Islebii; & *Michael Celius Mansfeldi.* Porrò post fata B. *Luth.* etiam Phil. Mel. in hunc errorem abreptus fuit, ad quem unicè scholastici Wittebergenses provocarunt. A. 1558. contra *Flacium*: quos secuti A. 1571. *Paulus Crellius*, *Christophorus Pezelius*, contra Wigandum & part. 4. objection. p. 84. 109. seq. *Catechetistæ* Witeberg. eodem anno, & 1572. His a. strenué sese opposuere *Wigand. Heshusius, Kerchnerus* & alii *Theologi Ienens.* tum temporis succenturiatas tulere operas, *Nicolaus Gallus, Simon Musæus &c.*

31. Sed nec hunc usq; in diem expiravit in totum, error ille Antinomicus, legitur enim in plerisq; Calvinianorum libris, ac prolixe defenditur, uti videre est in *Enchiridio* Loc. com. *Isaaci Fegvernekini* p. 236. ubi pœnitentiæ præconium, negat legi competere in N. Test. allatis 14. rationib. p. 237. 238. 239. id soli Evangelio adscribendo.

32. III. *Anabaptistarum*, contendentium: 1. Patriarchas in V. T. de Evangelio, ac de vitæ æternæ promissionibus nil scivisse. 2. Legem ex proscenio Ecclesiæ, relegandam esse ad curiam Quó pertinent etiam *Libertini*.

33. IV. *Photinianorum* Qui 1. æquè discrimen legis & Evangelii tollunt 2. vitæ æternæ ullam factam esse promissionem in V. Test. pernegant 3. Christum plurimas leges in Evangelio promulgasse nugantur cum Pontificiis 4. Legem moralem naturæ humanæ insitam esse, inficias eunt.

V. *Plæriq;* ex Orthodoxis, *Tertium* usum Legis non esse proponendum inculcandumvè, acriter disceptabant Anno 1562. & 1563. præsertim *Andreas Musculus*, qui tamen ab *Abdiâ* Prætorio erroris ad monitus, eidem nuncium remisit.





Au-

Auctuarium Antitheseos ex Dn. Chemnic. part. 2. L. C. de Lege f. 106.

Contra Antinomos:

NOstro tempore Antinomi contenderunt Legis usum tantum esse in externa politia, cùm Deus in ipsa promulgatione ideò leges forenses seu politicas à Decalogo, distinxerit; ut ostenderet, alium esse usum Decalogi, quam politicum &c: Omninó igitur necessarium est, ut doctrina de usu Legis ex Veris scripturę fundamentis extructa, rectè & perspicue in Ecclesiâ tradatur. Est a. Dei beneficio ex scriptis Apostolicis hodiè ita illustrata, & in locis tám commodâ methodo, & perspicua divisione explicata, ut nec utile nec necesse sit prolixa texere commentaria. Videmus n. illos qui dissentiendi libidine, ne quid videantur commune habere cum cæteris, quosq; pudet de iisdem eadem dicere, dum conantur hanc doctrinam, alia ratione & methodo proponere, nihil aliud efficere, quam quod opposita umbra clarissimum lumen obscurant.

Multum autem habet utilitatis hæc discendi ratio, in hujusmodi planis & perspicuis locis, ut scilicet consideretur Antithesis, quomo-

do eadem doctrina, ab aliis minus perspicuè & feliciter tradita sit, & quam fuerit difficile confusas illas disputationes evolvere, & tali perspicuitate illustrare, ut jam cuivis nota esse possit doctrina de triplici usu legis. Si omnes Patrum disputationes in unum conferantur; summa huc vere redibit: per legem ostendi peccatum, & infirmitatem naturæ, ut quæramus Medicum, cujus gratia natura ita sanetur, ut legi possit nova obœdientia satisfacere, & ita salvari, juxta dictum: Qui fecerit hæc &c. Sed hæc nec satis explicatè, nec verè dicuntur. Item de disciplina non renatorum, à veteribus multa confuse sunt scripta, undè postea ortæ sunt falsæ & periculosæ disputationes de merito congrui Et si conferantur quæ in principio renascentis Evangelii, de usu legis disputata sunt, comperiet Lector tantum de uno usu dici, quod ostendat peccatum. Nunc etiam fanatici quidam clamitant: Non esse verum usum legis, ut renati inde discant bona opera, &c.

Quæsivit a. Lutherus erudite in Galatis fundamenta hujus doctrinæ, & ita destribuit usum Legis, alium esse Politicum, alium Theologicum. Item Gal. 5. alium esse usum Legis in Justificandis, alium in justificatis. Et inde extructa est hæc divisio de triplici usu legis. Nota a. debent esse loca scripturæ in quibus sunt fundamenta hujus doctrinæ, de Politico agitur usu Paulus manifeste loquitur in 1. ad Tim.

Tim. 1. v. 8. ad Rom. 1. v. 20. Ad Gal. 3. v. 19. De ſecundo uſu docet Paulus ad Rom. 3. v. 20. & 5. v. 20. & 7. v. 7. ad Gal. 3. v. 24. Quod v. etiam in renatis ſit aliquis uſus, clarè docet Rom. 13. v. 8. ad Gal. 5. v. 14. Jer. 31. verſ. 33. Pſal. 118.



In honorem

ORNATISS. DOMINI

RESPONDENTIS;

Sub præſidio

Clariſs. & Excellentiſs.

D. Doct. Cœleſtini Mislentæ; publicè de diſcrim. Legis & Evangelii diſceptantis.

ANtinomus legem temnit, Iudæus Apella
Amens, Iucundum ſpernit Evangelium.
Num fructu duræ quercus quis veſcitur inquit,
Cum Cereris nobis, munera parta patent?


Quo

Quo lex? affulsit cùm nobis gratia Christi?
Quis probet obscuras sole nitente faces?
Pæoniâ curans ope vulnera; sæpe dolorem
Addens, sæpè secans, num tibi vanus erit?
Qui trahitur flammis Vulcani ardentibus acris:
Lædentem gratus, laudat amatq; manum!
Non semper tamen insistit medicamine tristi
Hippocrates, suavi pellit & arte malum.
Languida nectareo confirmat corda liquore
Atq; oleum blandum, vinaq; grata ferens.
Non semper præbe medicamina legis amara
Sunt & Evangelij vina ferenda reis.
Ille animæ medicus felix absynthia melli
Horrida; cœlesti qui benè miscet ope.

αὐτοσχεδιασὶ πθείκασι Quartæ Mensæ Commens. 10. Kalend. Octobrium Anni

ReDeMptor ChrIstUs IesUs ViVit.

F I N I S.




Biblioteka Jagiellonska
stdr0012641

